



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Tertium Argumentum principale ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

24

Sed conata manifeste & euidenter; nam illud est velle efficacius, & non inefficax, ad quod velle infallibiliter sequitur effectus, vt postea latius demonstribimus: sed Scriptura ait iam de facto Deum saluum fecisse David, & tribuens causam saluum facienti, ait esse volitionem diuinam, quæ præcessit, & ideo ait [saluum me fecit, quoniam voluit:] ergo illud velle, quod est causa saluum facienti non est inefficax, sed proprie efficacissimum: ergo velle efficacius Dei distinguitur tanquam excludens ab excluso ab ipso saluum facere: ergo non sunt idem velle efficaciter saluum facere, & ipsum saluum facere.

25

Minor prima, & præcipua sic demon-
stratur; quia ideo concurrere omnipotentiam,
& facere illam effectum sunt idem, quia supra
omnipotentiam nihil addit aliud præter facere;
quando dicitur concurrere; sed per te quando
dicitur Deum actu velle facere; nihil addit, ne-
que intrinsecum neque extrinsecum, nisi ipsam
facere; ergo si velle facere constituitur per ipsum
creare, & facere formaliter, idem erit velle facere,
& facere.

SVBSECTIO II.

Tertium argumentum principale ponitur.

96

modo contingens, aut libera, quatenus posset sub tali ratione non esse, si res non essent futurae. Intercedit ergo differentia inter hanc scientiam, & voluntatem quod scientia ut ex simplici intelligentia fiat visio, & præter res possibiles se extendat ad representandas res existentes, supponit in obiecto aliquam varietatem pro aliquo tempore, cui æternitas coexistit, vel saltem supponit aliquod decretum liberum divinæ voluntatis, & ita ibi intelligi potest extra ipsam scientiam aliquod principium formale illius denominationis; at vero in voluntate nihil supponi potest, sed omnis varietas, quæ in obiectis intelligi potest ab ipsa voluntate trahit originem; quia ipsa voluntas efficax est causa completa, & adæquata illius varietatis, & mutationis, & ratio à priori est, quia scientia etiam ut terminata ad talia obiecta contingentia non est in se formaliter libera, sed necessaria ex præsuppositione talis obiecti existentis, vel futuri; at vero voluntas ut terminata ad talia obiecta est formaliter libera, & ideo illa relatio, seu denominatio in scientia posset intelligi per modum respectus reluctantis necessario in ipsa, posito altero extremo, scilicet obiecto scibili in esse veri, seu scibili: In voluntate autem non potest ita intelligi, sed primo, ac per se originem trahit ab ipsamet voluntate, omnibus aliis eodem modo se habentibus, & ideo intime in illa esse debet fundamentum talis denominationis; unde ad talem denominationem libere volentis, & prædestinantis non indiget aliqua creatura, nec potest villo modo indigere illa; quia est ante omnem creaturam futuram, & existentem, ratione cuius ab æterno est & æterna dicitur; ut optime docuit Augustinus *lib. de prædest. & gratia, cap. 5.* explicans illa verba [elegit nos ante mundi constitutionem], ibi: [quæcunque omnino sunt, quæ temporum moribus agitantur ab eo principio, in quo erat verbum & verbum erat apud Deum usque in finem omnium sæculorum; adhuc nec sperantur futura nec præterita transferunt; sed in præsentia divinitatis præsentis semper luce certantur, antequam faceret nos præscivit nos, & in ipsa nos præscientia cum nondum nos fecisset, elegit. Sed à quo hoc fieri potuit nisi ab eo, qui vocat omnia; quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt; Apostolus enim dicit, qui elegit nos ante mundi constitutionem intra mundum facti sumus; atque ita vno, eodemque nec transeunte, nec futuro, sed continuo tempore vel si quo alio modo dici potest, si tamen apud Deum est & præscire, & facere, & eligere & præscientia sua immutabiliter permanente eligere faciendo, quos facturum fuerat eligendo.]

Vnde ipse Augustinus ponderans verba illa *Ioan. 17.* [clarifica me tu Pater, apud te metipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset apud te,] & in particulari enucleans verba illa prius, quam mundus esset apud te; sic ait, *tract. 105. in Ioan.* [intelligamus prædestinationem claritatis humanæ, quæ in illo est naturæ ex mortali immortalis apud Patrem futuræ, & hoc iam prædestinando factum fuisse antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret. Si enim de nobis dixit Apostolus, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem; ab ipso æterno cur abhorre putatur à vero, si tunc Pater caput nostrum glorificavit, quando nos in ipso, ut membra eius essemus, elegit;] in quibus duobus locis aperte D. Augustinus docet, prædestinationem & electionem tum Christi Domini, tum om-

nium electorum ita fuisse ante sæcula, & ante mundum factum ut fuerit ab æterno; nam D. Augustinus ait, prædestinationem eo principio fuisse, in quo Verbum divinum productum est, ut patet ex loco de prædest. & gratia, cap. 5. *super adducto*, ibi: [ab eo principio, in quo erat Verbum, & Verbum erat apud Deum usque in finem omnium sæculorum; atque Verbum divinum est generatum ab æterno: ergo decretum divinum eligendi, & prædestinandi est ab æterno.]

Quæ omnia clarissime docuit D. Chrysostomus *hom. 17.* super illa verba Pauli *ad Corinth. 1.* quam prædestinavit Deus ante sæcula, his verbis: hoc Paulus in præsentia ostendere annuntiat, quod scilicet sæper nos dilexit à principio Deus, etiam nondum editos; nullo namque pacto, nisi nos dilexisset divitias suas nobis prædestinasset. Noli igitur reputare, quæ interea suborta sunt inimicitia, cum longe antiquior amicitia fuerit. Quod autem ante sæcula inquit, æternum significat, etenim alio in loco his verbis utitur, qui est ante sæcula. Invenietur igitur & Filius hic æternus. Ponderanda sunt illa verba, quod autem ante sæcula, usque ad illa [filius hic æternus;] quæ evidentius probant, prædestinationem & electionem ab æterno fuisse, sicut Verbum; sed clarissime nostram sententiam docet Leo Papa IV. seu ut melius loquar, Concilium Valentinianum sub ipso Leone *cap. 3. post medium* ibi: [de hac immobilitate præscientiæ, & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura iam facta sunt apud Ecclesiastem bene intelligitur dictum, cognovi quod omnia opera, quæ fecit Deus perseverent in perpetuum] & Bernardus *sermon. 7. in Psalm. qui habitat*, sic ait; in his duobus fidelis quadam constituta est connexio vel ut cuiusdam æternitatis ad æternitatem, id est magnificationis ad prædestinationem. Quarum equidem sicut prædestinatio nullo est præcisa principio, sic & magnificatio nihilominus nullo vnaquam sine claudenda. [Quid clarius, & evidentius? ubi mellissimus Doctor Bernar. comparat prædestinationem cum glorificatione in æternitate, quæ utraque suo genere gaudet, & dicit sicut glorificatio, seu magnificatio, ita est æterna à parte post, ut in perpetuum, & sine fine duret pari ratione prædestinationem ita esse æternam à parte ante ut sine principio durationis existat ab æterno, ut patet ex illis verbis: [sicut prædestinatio nulla est præcisa principio, sic, & magnificatio nihilominus nullo vnaquam sine claudenda.] Quod confirmat *sermon. 23. in Cantica*, ibi: [generatio cœlestis æterna prædestinatio est, quæ electos suos Deus dilexit, & gratificavit] id est omnium maximam gratiam electionem nimirum ad gloriâ illis impertitusest in dilecto filio suo ante multam constitutionem. Magis abunde, & copiose prædestinationis æternitatem tractat *sermon. 78. in Cant.* notentur sola hæc verba ex toto illo sermone; [prædestinatio, non dico ab ex ortu Ecclesiæ, sed ne à mundi principio quidem, principium habuit, non denique à tempore illo, vel illo ante tempora est sane secundum prædestinationem, nunquam Ecclesiæ electorum penes eum non fuit.]

Nec minus clare Fulgentius *lib. 1. ad Monimum cap. 7. sub initium*, ibi: [prædestinationis nomine non alqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors, & iusta futuri operis divini sempiterna dispositio

prædicatur, verumque autem prædestinando Deus præparauit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renouandi disposuit, ut eius voluntas in opere nouo noua esse non possit,] & cap. 12. inquit: [in illa quippe immobilitate Concilij sui secundum bonum placitum eius, quod proposuit in eo indispensable plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quæ in cæcis, & quæ in terra sunt. In ipso ex æternitate dispositionis suæ in prædestinatione iam fecit, quæcunque effectus operis sui tempore congruo faciendum disposuit, in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ creator ille iam fecisse dicitur, quod in creatura mutabili prout oportune faciendum disposuit, sic rite dispositum facit;] nec minus aperte lib. 2. ad eundem autoritate Scripturæ, Augustini, & Prosperi confirmat & inter alia hæc profert: [prædestinationem Dei nihil aliud esse nisi præparationem operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iuste.] & Isidorus lib. 1. sentent. cap. 18. in medio, ibi: [cur futura quasi præterita scribuntur, nisi quia ea, quæ adhuc facienda sunt in opere, iam facta sunt in diuina prædestinatione: nobis igitur temporaliter accidunt quæ conditori omnium sine tempore prouidentur.] Aduertantur illa verba, sine tempore prouidentur, & illa Fulgentij diuini sempiterna dispositio prædicatur; quæ si aduertantur solum in eis nostra veritas aperte perspicitur, quibus congruunt verba Augustini Epist. 57. ad Dardanum: [quomodo ergo Dei filios, nisi secundum prædestinationem, secundum quam & Apostolus dicit, quod nos elegerit Deus sempiternè in Christo ante constitutionem mundi sine tempore.] & Epist. 59. ad Paulinum, imo ipse Paulinus epist. ad Alip. qua inter epistolæ Augustini est 35. sic ait: [qui nos ab origine mundi prædestinauit sibi, in quo facti sumus antequam nati; quia ipse fecit nos, & non ipsi nos, qui fecit quæ ventura sunt;] unde Anselmus super illud ad Rom. 8. [quos præsciuit, & prædestinauit.] notat ab æterno præsciuisse, & præparasse gratiam alludendo ad verba illa Chrysostomi, [quid est elegit in ipso; per fidem in ipsum Christus hoc præclare gessit prius quam facti essemus, imo vero prius quam constitutus esset mundus;] illud prius quam constitutus esset mundus ex Augustini sententia explicat D. Prosper lib. sentent. sent. 57. & 58. [ordo temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est; nec aliqua sunt apud illud noua qui fecit quæ futura sunt;] qui vestigijs Ambrosij insitit, qui ita loquitur; [quos ergo Deus vocare dicitur, sempiternè electos perseuerant in fide; hi sunt, quos elegit ante mundum in Christo, ut sint incontaminati coram Deo in charitate; hoc est ut amor Dei sanctam illis faciat conuersationem;] in quibus omnibus per illa verba, ante mundum, sine tempore, priusquam mundus esset, sempiternè, &c. aperte demonstratur decretum prædestinationis, & electionis fuisse ab æterno.

99 In quibus tum Sancti Patres, tum D. Paulus, cuius mentem enucleare intendunt alludere videntur ad verba Christi Domini, Mat. 25. [poscitede paratum vobis regnum à constitutione mundi;] & ad illa Apocalip. verba respiciunt etiam Patres, [quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni qui occisus est ab origine mundi,] & ad illa cap. 17. Apocalip. [quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi,] ubi Scriptura per tales modos loquendi

includentes longissimam durationem, quæ est ab initio mundi, significat id, quod ab æterno fit; ut intelligentiæ nostræ sese attemperet, qui vix aliquid cogitare possumus ante mundi creationem, ita scriptum est Psalm. 89. [à sæculo, & vsque in sæculum tu es Deus, & psalm. 92. [à sæculo tu es] cum soleat etiam dicere, ante sæcula, Mich. 5. [& egressus eius ab initio à diebus æternitatis] 1. Ioan. 1. [quod fuit ab initio, quod audiui] itaque ab initio, & à constitutione mundi idem sunt, ac ab origine, nam utroque loco est in Græco: ἀπὸ ἀρχῆς ὅθεν; ergo ex his omnibus colligitur, prædestinationem, & electionem fuisse ab æterno, quod adeo certum esse asserit P. Suar. ut sit dogma de fide his verbis tom. 1. 1. p. lib. 1. de prædest. cap. 1. num. 4. ibi: nam ad hoc significandum verbo, destino, addita est particula præ circa quam est breuiter aduertendum posse significare, vel solum antecessorem æternitatis ad tempus, vel etiam ordinem aliquem seu prioritatem rationis inter ipsos actus diuinæ scientiæ, & voluntatis, & in quo sensu non est res pertinet ad fidem, saltem aperte definitam: igitur ut assertio posita fidei certitudinem habeat, sumenda est particula præ, ut dicat solum antecessorem æternitatis ad tempus, quo sensu procedit optimè ratio facta, estque non solum certa, sed etiam evidens suppositis dogmatibus de glorificatione iustorum.]

Sic Suarez num. 4. & 5. & ratio videtur esse, quia si Deus aliquid in tempore de nouo decreueret prædestinando, & eligendo necessario mutaretur affectusque Deo vicissitudinis obumbrationem, prima quidem illatione variaretur Deus mutatione inconstantis animi, ex qua sequeretur vltierius realis mutatio physica diuinæ substantiæ; Quod optimè ex aduersarijs nostris docuit P. Herize tract. 1. disp. 2. de natura scientiæ Dei c. 2. num. 13. ibi: [ad exemplum, quod in confirmationem adducitur, satis responsum est, sed id difficile ibi est explicatum, quare Deus non possit in tempore velle aliquid libere de nouo, quando hæc volitio nihil reale addit volitioni necessariæ; consulto suppono Deum non posse velle aliquid de nouo in tempore, licet non me lateat oppositum dixisse Antonium Delphinum lib. de rerum euentibus cap. 23. quia continet quod supponimus veritatem de fide certam, ex cap. 23. Numerorum, & cap. 19. Proverbiorum ut in tract. de voluntate, probet ex professo disp. 20. cap. 1. in qua re non est contemnenda doctrina subtilis Henrici quodlib. 9. q. 1. de quo iam fecimus mentionem. Distinguit is Auctor respectus rationis, qui primo incipiant à creatura, quia ipsa refertur ab Deo, & protinus per quandam correspondentiam alij intelliguntur resultare in Deo.

Alij sunt respectus, qui per se primo in Deo formantur, ut respectus eligentis, prædestinantis, &c. de prioribus concedit in tempore de nouo Deo aduenire posse, de posterioribus negat, & bene quia id verum est, ceterum non reddit rationem discriminis. Pater Molina supra adductus dicebat, licet ex acquisitione horum respectuum in Deo non fieret mutatio propria, fieret tamen quædam vicissitudinis obumbratio, quæ ex Iacobo c. 2. non minus pugnat Deo, quam propria mutatio; verum respositio hæc in eo defectuosa est, quod distinguit præter mentem Iacobi vicissitudinis obumbrationem à propria mutatione, & supponit esse aliquid minus illa, vicissitudinis namque obumbratio mutatio vera est per successionem vmbra significata, Iacobus Deum

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 309

Deum vocauerat Patrem luminum instar solis; at ne in hoc ipso decipiamur, monet Deum non pati mutationes perpetuas, quas sol patitur saepe obumbratus; Augustinus in *lib. de speculo apud Deum*, (inquit, non est transmutatio, & ideo apud Deum cursus temporis, diei, noctisque alternatione nequaquam variatur. Ratio à priori est, quia inter immutabilitatem, & veram mutationem nullum inuenies medium, etenim aut per vicissitudinis obumbrationem acquiritur aliquid reale, vel solum aliquid rationis: si primum vera est mutatio, si secundum nihil obstat immutabilitati, & nunquam redditor ratio, quare obstat, Pater Franciscus Suarez 2. tom. *Met. disputat. 30. sect. 9. §. ad tertiam difficultatem*, fuscè pariter, ac docte tractat rem hanc, aliorum refert & refellit sententias. Ego solum id, quod mihi verius videtur sic propono; concedo nihil fieri contra dei immutabilitatem directe, & immediate, ex eo quod Deus in tempore aliquid decerneret; inde tamen in deo probari vitium morale, & animi inconstantiam directe, & immediate, & indirecte physicam mutabilitatem.

Vt id explicem, sumo scientiam simplicis intelligentiae antecedere omnia decreta diuinæ voluntatis illamque proponere rerum omnium amabilitatem, & modos eas producendi, rationesque, & motiua, quibus voluntas Dei moueri poterat ad ea producenda, aut non producenda. Præsupposita hac scientia ratione nostra possumus considerare diuinam voluntatem se gerere tribus modis in æternitate erga hæc obiecta, primo suspendendo omne decretum liberum, & remittendo determinationem in tempus; secundò, partim quædam decernendo ab æterno, & quædam alia prætermittendo decernenda in tempore; tertio, denique simul ex æternitate decernendo omnia producere, quæ producturi essent in tempore, & decernendo non producere, quæ non producturi essent. Modo ostendo hoc tertio modo se gerere debuisse Deum, ut immutabilis esset à vitio inconstantiae. In suspensione omnis actus; primo est imperfectio potentialitatis, secundo quod tunc non esse creaturarum non esset directe voluntarium deo, quod absurdum reputatur à Theologis, ut tracto in materia de voluntate dei, *disputat. 19. cap. 5. Tertio* formo hoc argumentum: vel cognouit Deus ex æternitate suam voluntatem in tempore determinandam in aliquam partem vel non cognouit; si non cognouit, probatur imperfectio in scientia; cum aliquod ex iis extremis sit determinate cognoscibile; si cognouit, cum nulla sit ratio boni in dilatione determinationis ad tempus; nec illi possit representari à scientia non poterit Deus non statim ac proponuntur obiecta decernere, imò est ratio mali, scilicet carentia exercitij libertatis, perfectionis nempe positivæ pro tota æternitate à parte ante, sic Pater Herize ubi asserit esse de fide decretum prædestinationis non fieri in tempore, sed ab æterno fuisse, ut patet ex illis verbis; [quia continet veritatem de fide certam, ex cap. 23. *Numerorum*, & cap. 29. *Prouerb.*] & etiam efficaciter probat; ut patet ex toto contextu verborum illius.

Secundo etiam patet eadem veritas ex eodem Patre Herize *tract. 3. disput. 22. cap. 1.* ubi sic ait: [caput primum providentiam, & prædestinationem esse actus Dei immanentes & æternos; conclusionem in titulo præfixam quoad prædestinationem habet S. Thomas *quaest. 23. artic. 2.* & paulo inferius idem docuit Paulus 1. ad Corinth. 2. ubi: [loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ

abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, ubi agit de prædestinatione Christi, quam vocat absconditam, quia est latens in mente Dei ante omnem æternitatem, ut recte ait Tertulianus *lib. 5. in Marcionem, cap. 6.* ubi: sed de significantiis obumbrata, in quibus sapientia dei delitescbat inter perfectos narranda suo in tempore; proposita verò in proposito Dei ante sæcula; quæ vltima vox vere æternitatem significat. Augustinus in præfatione in Psalmum vltimum explicans illud Pauli ad Rom. 8. nam quos præsciuit, hos prædestinavit, vocavit, iustificavit, glorificavit; acutè animaduertit Paulum distinxisse præscientiam & prædestinationem à vocatione, iustificatione, & glorificatione; sic dicens, prædestinatio nostra non in nobis facta est, sed in occulto in eius præscientia; tria vero reliqua in nobis sunt, vocatio, iustificatio, & glorificatio: Denique Fulgentius, *lib. de incarnatione Verbi, in fine*, dicens, veritatem prædestinationis sine errore negari non posse, quia nos inquit, ante mundi constitutionem prædestinatos testatur Apostolus: nolo plura, res enim perspicua; sed obijciens primo, prædestinatio non est solum præscientia, sed etiam præparatio beneficiorum Dei secundum definitionem Augustini: licet ergo præscientia sit actus immanens, atque æternus; præparatio vero, videtur temporalis, & externa, quippe quæ versatur circa rem existentem, & eam disponit ad finem: ergo prædestinatio non est actus immanens, & æternus.

Obijciens secundo; providentia non est actus immanens, & æternus: ergo nec prædestinatio, has proposui obiectiones, ut rem magis expedirem. Ad primam obiectionem duplex præparatio distinguenda est, alia interna existens in actibus intellectus, & voluntatis artificis, alia externa, ut quando artifex dat signa ad efformandam effigiem, hæc ab illa proficiscitur, veluti à propria causa; prædestinatio vero, & providentia non est præparatio externa; est enim hæc effectus eius sed interna, quæ est actus immanens, & æternus, licet vero versetur circa media, quibus subiectum dirigitur in finem; non vero circa subiectum iam actum & existentem, sed circa subiectum futurum ex æternitate.

Ad secundam obiectionem negandum est omnino antecedens, ut constat ex S. Thoma in *artic. 2.* verba rectè in principio huius nostri capitis, qui ut probet prædestinationem esse actum immanentem, utitur medio ex providentia deopto, quatenus prædestinatio est pars eius, & ait providentiam non esse in rebus prouisis, sed in mente prouisoris; ad probationem iam dixi providentiam, licet demus versari circa media tantum, ratione solum supponere subiectum futurum ex æternitate, non vero actu temporaliter existentem.

SVBSECTIO III.

Secunda pars maioris principalis probatur.

EX Paulo ad Rom. 8. [scimus, quoniam diligenter, ubi ait: Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti,] utique [secundum propositum liberum voluntatis dei,] non ex aliqua necessitate, unde subdit, [nam quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginì filij sui, indicans differentiam inter verum

Q. 9. 3. Filium,